

The Electronic *Manipulus florum*  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Sacramentum c  
cum fontibus proximo et primis

Intra catholicam ecclesiam in ministerium corporis et sanguinis Domini nil a bono maius, nil a malo minus perficitur sacerdote, quia non in merito consecrantis, sed in uerbo perficitur creatoris et uirtute Spiritus sancti.

Si enim in merito esset sacerdotis, nequaquam ad Christum pertineret. Nunc autem sicut Christus ipse est qui baptizat, ita ipse est qui per Spiritum sanctum efficit carnem et transfundit in sanguinem.

Credendum enim est quod in uerbis Christi sacramenta confiantur, cuius prius creatur imperio, eius utique uerbo recreantur ad melius.

Augustinus in libro de corpore Christi.

Intra ecclesiam catholicam in ministerio corporis et sanguinis Domini nichil a bono maius, nichil a malo minus perficitur sacerdote, quia non in merito consecrantis, sed in uerbo perficitur creatoris et uirtute Spiritus sancti.

Si enim in merito sacerdotis, nequaquam ad Christum pertineret. Nunc autem sicut ipse est qui baptizat, ita ipse est qui per Spiritum sanctum hanc suam efficit carnem et transfundit in sanguinem.

Credendum est enim, quod in uerbis Christi sacramenta confiantur. Cuius prius creatur imperio, eius utique uerbo recreantur ad melius.

Gratianus, *Decretum*, 2.1.1.77 (*Corpus iuris canonici* 1, A. Friedberg ed., col.385).

Vere credere et indubitanter scire debemus infra catholicam ecclesiam:  
Vbi catholica fide hoc mysterium celebratur, nihil a bono maius nihilque a malo minus percipitur sacerdote nihilque aliud quam caro Christi et sanguis, dum catholice consecratur.  
Quia non in merito consecrantis  
sed in uerbo efficitur creatoris et uirtute Spiritus Sancti, ut caro Christi et sanguis, non alia quam quae de Spiritu Sancto creata est, uera fide credatur et spiritali intelligentia degustetur.  
Si enim in merito esset sacerdotis,  
non ad Christum pertineret.  
Nunc autem sicut ipse est qui baptizat,  
ita ipse est qui per Spiritum Sanctum hanc suam efficit carnem et transfundit sanguinem.

Paschasius Radbertus, *De corpore et sanguine Domini*, 12 (CCCM 16, B. Paulus ed., pp.76-7, ll.5-14).